

Marfi ut
Viperas
capiant.

ma mollescant: postea arte paratam molam recipies, & hac omnia in unum mista turbabis, teresq, cum serpentibus. Longè autem spinas separa: quandoquidem maleficum illis venenum adhæreat. Omnia porro membra ex hoc unguento inunge, tumq, vel in quamvis viam, vel grabatam etiam te tuiò conferes, vel cum arentis æstatis tempore ad area opera cinctus, tridentibus profundum manipulorum acervum disquisiveris: hac ille. Capiunt igitur qui Marfos se faciunt viperas, aliudq, quodvis serpentium genus hoc modo: captus, statim caput saliva perfundunt, cuius contactu non parum vilescunt, & veneni feritatem deponunt, quod hominis saliva facultate sit illi prorsus contraria. Cum autem in foro, ut miraculosum de se spectaculum præbeant, ab his nullo veneni incommodo demorari se facere volunt, oblato prius illis dura carnis frusto id dentibus dilaniare cogunt, ut virus, quod propè dentes quosdam vesiculis continetur, in mansam effundatur carnem. Non desunt tamen qui etiam vesiculas illas forcipibus abscedant, ne amplius veneno repleantur: itaq, hac fraude universam gentem decipiunt. Verum pulcherrimè horum fraus quandoq, detegitur, cum simul in eodem foro plures ejusdem pravi generis homines contendunt, ut alter alteri primum locum præripiat, & summam apud populum auctoritatem consequatur. Nam q, ut quisq, se legitime ex divi Pauli familia ortum ostendat, viperis quibus venenum exemptum non sit, se invicem dilacerant, præsumptis tamen suis fallacibus antidotis: quibus tandem frustrati, à veneno viliti relictis vexillis, tanquam moribundi, suis è pulpitis interram cadunt. Et cerè nisi statim periti Medici illi opem ferrent, mortem sape immaturam oppeterent: licet etiam interdum occumbant, & animam cacodemonibus, corpora verò suis serpentibus devoranda relinquant. Equidem memini, cum essem Perusii, me duos hujusce generis circumforaneos vidisse in foro, qui in tribus corporum partibus à viperis demorsi erant: & q, sanè ambo perisissent, nisi Caravitus ille Bononiensis chirurgus, & præceptor meus, oleo nostro de scorpionibus eos inunxisset: nec suis illis profusisset lapis, quem vendunt, & omnibus præferunt, adversus omnia venena. Quemadmodum idem non profuit ijs, qui Tridenti invicem in foro demorsi, & veluti mortui in hospitium delati, prædicto oleo sanitate restituti fuere, magno quidem amborum discrimine, ac dedecore. 10

Terra
obsigna-
ta S. Pauli

Sunt qui dicant eum lapidem, vel potius terram obsignatam, à Melite insula allatam, quam omnibus præponunt antidotis, vim omnino adversus serpentium venena efficacem habere, quemadmodum & ea, quæ à Lemno insula, Lemnia vocatur. Veruntamen ubi ab aspidē, vel viperæ quis fuerit demorsus, parum vel nihil proficit: quamobrem credendum minimè fuerit, panem vel vinum, quibus suas q, admurmurant cantilenas, eos qui sumpserint, tutos à serpentibus & aliis id genus venenum ejaculantibus, ad integrum usq, annum servare posse. Quandoquidem novimus nos, qui hoc pane devorato se tutos à serpentibus existimantes, serpentium venationi se dedere, sed ab ijs tandem demorsi hujus admurmurati panis opinione falsi interiere. Non tamen eam inficias, quin aliqui reperiantur, quibus quadam ea à cælo facultas tributa est, ut à serpentibus non mordeantur. Siquidem novi ego plures, qui simpliciter, nullog, artificio aut verbis, aspidēs & viperas quotidie capiebant, nec unquam ab ijs illi fuere: quamvis serpentes ab ijs modo pedibus calcati, modò manibus compressi fue- 30

Curatio
secundū
quendam
eremita-

runt, ac diutius in nudo eorum sinu gestati. Neq, præterea negaverim, serpentes non posse carminibus, & incantationibus compelli, quod plurimū id constet experimentis. Caterum, ut nihil quod ad curationem ictuum virulentorum facere possit, à nobis prætermittatur, qui omnia quæ scimus, ingenuè docemus, non verebor prodere memoria (etsi id sciam ad Medicos non spectare, neq, ab ipsis recipi) quoniam pacto in Romano agro senex quidam eremita amicus meus, à feris iustos sanabat, ipsis absentibus aegris. Cum enim quis è circumstantibus populis à serpente demordebatur, id per nuncium eremita significabant: tum is interrogabat nuncium, an medicamentum illi loco ebibere vellet: quod si id se facturum respondebat, jubebat ille, ut dextrum pedem calceo denudatum solo sisset, & cultello totius pedis vestigio lineam circumducebat: deinde jubebat pedem auferri, & intra spatium lineæ signatæ cultelli cuspide hac verba inscribebat: CARO CARUZE, SANUM REDUCE, REPUTA SANUM, EMANUEL PARACLETUS: mox terram eodem gladio abradebat, ita ut omnes abolerentur characteres: abrasum pulverem fittili quodam parvo aqua pleno excipiebat, ibiq, tantisper dimittebat, donec terra subsideret: demum nuncij interula aquam percolabat, & cruce signatam illi bibendam præbebat. Sed cerè mi- 40 rum est quod eadem hora iustus sanabatur, quæ nuncius potionem illam sumpserat, ut mihi planè compertum est, & omnibus illius regionis incolis. Hec est curatio in virulentos ictus, quæ utebatur ille eremita: qui mihi sapius dixit, hoc esse majus secretum, efficaciusq, remedium, quàm habeant q, qui suam originem in divi Pauli familiam falso referunt.

Σφῆκτι, ἢ ἀπὸ μέλισσαι.

VESPÆ, ET APES.

CAP. XLI.

Inter ferientium venenatorum notas, nihil de vespis, & apibus articulatim digestimus, quod conspiciuæ omnibus sint, & nihil excellens, aut notatu dignum in his observetur: inter remedia tamen earum meminisse non fuit alienum. Igitur adversus utrarumq, ictus prodest illita malva, & hordeacea farina cum aceto, ficulneum lac in vulnus instillatum, & muricæ, aut aquæ marinæ fots. 50

Vespari,
& apum
ictus &
remedia.

Signa
ictus apū
& vespa-
rum.

Etsi vesparum, & apum ictus nemini unquam attulerit necem, cum tamen dolores molestissimi inde quandoq, oriantur, non alienum, neq, inutile fuerit ea nosse medicamenta, quibus facillè q, dem mulceri possint. Quamobrem jam dictis à Dioscoride remediis ea addenda duximus, quæ privatim scribit Aetius libro 13, sic inquit: Si quis ab apibus, & vespiis illesus permanere velit, cum malva folia cum oleo illit, & eruca, sive bruchus cum oleo illitus affert abunt. Quandoquidem verò quidam ab his clanculum percussi, ob dolorem perturbantur, putantq, se à maligno aliquo animante petitos esse, necessarium existimo prius ostendere quæ signa horum ictus comitentur. Hos itaq, qui ab apibus punguntur, dolor ictus apū consequitur, & rubor loci, cum tumore partium in ambitu sitarum: stimulus autem omnino in percussu loco reperitur. Eadem etiam hos, quos vespa pupugit, concomitantur, sed intensiora: verum stimulum vespæ in percussu loco non relinquit. Auxilium autem utriq, ferunt luto, aut stercore bubulo eis illito cum posca: aut malvæ foliis impositum cum posca: aut cimolia cum malva & posca. Naturaliter autem opitulatur veneranda, & vivifica Strombi conchylii imago in sigillo ferreo exculpta, & loco ictus appressa: non enim permittit amplius inflammationem generari. In potu præterea ipsis foliorum lauri tenerorum drachmas duas cum vino austero præbeto: hac Aetius. Caterum compertum est, dolorem statim sedari illitis muscu prius contritis. Id quod similiter præstant thymbra, melissophyllum, & si symbrum. 60

Φαλάνγια.

PHALANGIA.

CAP. XLII.

Demorsis à phalangiis locus quidem ipse, quasi ab impactu aculeo rubet, non intumescens, nec per ambitum calidus est, sed mediocriter humescit: ubi verò contrariorum occursum refrixit, consequitur corpore

corpore toto tremor, distentiones poplitum & inguinum, convulsionibus non dissimiles, in lumbis col-
lectio exoritur, & perpetua urinae libido laceffit, multa quoque reddendis excrementis colluctatio: universa cu-
te frigidus sudor emanat, collacrymant oculi, offusisque nebulis caligant. Horum ictibus ficulneum cine-
rem adjecto sale trito, & vino imponere oportet: aut radicem sylvestris punice quam tenuissimè tritam:
aut Aristolochiam cum hordei farina, & aceto subactam. Ulcera aqua maris proluenda, aut apiastrum deco-
cto, folia quoque ejusdem illinenda. Lavacris perpetim utendum, & propinandum abrotoni semen: anisum,
aristolochiam, cicer sylvestre, cuminum Aethiopicum, cedrides tritas, platani corticem, & trifoliarum herbe
semen: privatim autem, singulorum ex iis binas drachmas dare cum vini hemina convenit: item myricae
fructus, & Chamæpitios, & viridium cupressi pilularum decoctum, admisto vino. Sunt qui fluvialis
10 cancri expressi succum cum lacte, assumpto apii semine, confestim molestiis liberare prodant.

Phalangiorum genera quanquam plura à veteribus describuntur: tamen Aetius lib. 13. cap. 18. sex tantum numerant, Phalan-
giorum
genera
ex Aetio
his verbis. In phalangiorum genere primum quidem rhagium, alterum lupum, tertium formicarium, quartum tra-
nocolaptes, quintum sclerocephalum, sextum scolecium appellant. Ac primum quidem Rhagium, id est, acineum figura
rotundum est colore verò nigrum, acini uva nigra similitudine, unde etiam appellationem accepit: & os quidem juxta me-
dium ventrem habet, pedes verò ex utraque parte quam brevissimos. Alterum verò Lupus appellatum, muscae perdit, cuius
pascitur, ac corpus quidem habet latum & volubile, partes verò circa collum ipsis incisae sunt: Amplius autem & os ejus e-
minentias tres habet. Tertium autem Myrmecium, hoc est formicarium dictum, formica maxima a simulatur, colore su-
liginoso: corpus verò ejus velut astris quibusdam insignitum est, maxime circa dorsum. Quartum deinde Cranocolaptes,
20 sublongum est, & viride, stimulum quoque juxta collum habet, atque si in quem irruat, locos circa caput petii. Quintum Scle-
rocephalum dictum, caput habet saxeam, & obduratum: lineamenta verò per omne corpus similia animalibus illis, quae
circumvolitant noctu lucernas. Sextum autem Scolecium sive vermicarium appellatum, sublongum est & sub aculo-
sum, maxime circa caput. Atque haec quidem species phalangiorum enumerantur: haec Aetius. Qui tamen cujusque
phalangii notas, & indicia seorsum non descripsit (genus enim diversum diversa quoque parit symptomata) sed omnia in
commune simul collegit. Quamobrem si particulatim cujusque phalangii indicia per se scire cupimus, Nicandrum consulta-
mus. Is siquidem in Theriacis praeter id quod plura, quam fecerit Aetius, phalangiorum genera reddit singulorum etiam pri-
vatim indicia describit suis versibus, qui ita paraphrastice in Latium vertuntur. Opera jam nunc noxia considera pha-
langii, signa quoque ejus morsus: Primus itaque splendidus Rhox appellatur, niger plane, accumulatis pedibus prorepens, medium
ventrem ore, & dentibus septum habens. Cui ab hoc insitum fuerit vulnus, perinde corpore apparet atque si nihil quicquam
30 sauciatus foret: oculi verò inferiore parte rubescunt, frigus juxta in corpore adhaeret, insiguitur statim, color & membra
hominis à supernis ad ima vergere videntur: neque penitus semine viduus demittitur, sed lumbos occupans ita frigus genuum
nexus dissolvit. Asterion jam secundum observat, in cuius dorso pinguis quadam relucet, ac lucida in corpore virgula. Per-
cussus ab hoc inexpectatus horror cum flamine quodam adoritur, caput verò somnus gravat, genuum & membrorum ne-
xus, & imbecillitas fit. Cyaneum aliud sublime, crinitum, & asperum equaliter est. Difficilem corpori insert illud punctu-
ram, quodcumque labefactaverit, cor quoque gravi languore succumbit. Nox & caligo tempora circumstant, vomitum quoque edit
collo labricum, ab araneis telis non multum distantem, adeoque tandem interitum subministrat. Ab hoc alium est Agrostes,
qui specie sua lupo similis est, muscarum interemptori, qui apum observator est, culicum qui psenes dicuntur, & astro-
rum, & omnium quae ad telam ipsius pervenerint. Hic imbellem plagam, & vanum vulnus homini insigit. Quod autem
Dysderi, sive speceum appellant, rutilum satius, vespa cruda vescenti persimile. Hic si quempiam vulnerat, ingens est vulne-
40 re tumor erigitur: morbi etiam quidam ad genua, alias etiam nervorum cordis, & venarum languentium trepidatio alias
virium destitutio, ut percussus sapiens domet, atque interimat. Extremi malefici animal, somnum adferens, qui hominem
quiescere ab hujus seculi laboribus faciat. Est praeterea Formicarium dictum, quod formicis plane simile sit, collo quidem
rutilum, reliquum corpus nigredini ex putredine facta. par est, undique latum stellatum dorsum, punctum quoque distinctum ge-
rens, cui subcineritium tempus ad modicam cervicem attollitur. Atque ex hoc phalangio dolores priorum similes venena-
torum veniunt. Sunt & alia parva phalangia scarabeis similia, quae in agris inter legumina sua carpunt pascua. Horum
circa cruciantem morsum tubercula, & pustulae exurgunt, cor oberrans furit, lingua incondite obmurmurat, oculi etiam
subvertuntur. Educatur in Aegypto in perseae foliis, quem Cranocolaptem dicunt, phalena similis quae circum lucernas
cum impetu volitat nocte. Ejus horribile semper caput ineffanter nutat, uterque autem gravatur. Hic ubi cuiuspiam stimu-
lum infixit, quem cervicetenuis gerit, facile sanè citra omnem laborem ad interitum ducit: haec Nicander. A quo tamen
50 in hoc dissentit Aetius, quod sclerocephalum is simile fecerit bestiolis, quae noctu lucernas circumvolitant, Nicander verò
huic cranocolaptem comparaverit. Sed jam ea prosequamur, quae de phalangiorum ictibus tradidit Aetius, qui loco superius
citato sic habet. Quae percussus à phalangio concommittuntur, communia sunt juxta magnitudinem, & parvitatem discretum.
Morsus porro tenuis est ut vix conspici possit: tumor autem lividus, quibusdam etiam rubicundus: frigiditas adest circa ge-
nua, lumbos & scapulas nonnunquam verò totum corpus aggravatur: amplius & dolor aspidius adest, tremor, pallor, vi-
giliae. Quibusdam verò pudendi tentigo, & circa caput pruritus, aliquando etiam circa suras: oculi humecti, & lachry-
mantes, ac cavi, & venter inaequaliter elevatur. Intumescent autem universum corpus, facies quoque, & maxime circa linguam
partes, adeo ut impedito sermone balbutiant demorfi. Quibusdam verò urinae emittenda difficultas adest, cum pudendi
tentigine, & dolore. Si verò minxerint, aquosa ipsorum sunt urinae, quaedam araneorum telis similia in se habentes, & vo-
mitus quoque similis: aliquando verò & per vomitum, & per ventrem talia excernuntur. Ceterum in calidam aquam de-
60 missi, dolore levata sibi videntur: post verò è balneo egredientibus intentum dolet pudendum. Senioribus verò pudendum
plurimum laxatur, ac minime intenditur. Atque haec quidem communiter ad omnium ictus sequuntur. Si verò cranocola-
ptes aliquem percusserit, caput magis dolet, & vertigines consequuntur, frigus continens, delirium, corporis jactatio, & ven-
triculi punctiones. Omnes autem à phalangio percussi juvantur aspidius balneis: ictus etiam locus ex trifolii bituminosi deco-
cto, cum oleo proluatur, totum verò corpus ex cerato liquidissimo pinguescat. Juvantur etiam fomento spongiarum in cali-
do aceto tinctarum, & plaga continuè adhibitarum. Cataplasmata autem eis conveniunt: bulbi, sanguinaria, porrum, fur-
fures aceto incocti, hordeacea farina incoctis cum ea in vino aut melle lauri foliis, ruta, grossi, caprinum, stercus cum vino,
amaracus cum aceto, sylvestris ruta cum aceto & cyperus: haec Aetius. Ceterum Dioscoricus variis in locis hujus totius operis
de medica materia plura alia medicamenta intus in corpus sumenda adversus phalangiorum morsus commemoravit, praeter
ea quae hoc capite speciatim retulit. Ea autem sunt, si summam colligantur, myrti baccarum succus ex vino potus, succus
item fo-

Phalang.
genera,
& mortus
notae ex
Nicandro.
Rhox.

Asterion.

Agrostes.

Dysderi.

Formi-
carium.

Scarabe-
is similia.

Cranocolaptes.

Phalan-
giorum
ictuum si-
gna & cu-
ratio ex
Aetio.

item foliorum mori cyathi mensura, lixivium è sici vel caprifici cinere paratum, asparagi radicum decoctum, agrestis lactuca, coris semen, hedera succus ex aceto potus, ruta ex vino hausta, hieracium, dauci semen, melanthium drachma pondere ex aqua potum, aparine, melissophyllum, & phalangium herba ex vino pota, pentaphyllum, & hyacinti radix, sedum minus, Quae verò ad idem exteriùs illinenda commendavit, haec sunt, nullus piscis dissectus, malva decoctum, aqua marina, & marinorum juncorum tenella folia, Nec desunt composita medicamenta ab authoribus tradita, quae si quis videre & habere cupit, Galenum consulat libro secundo de antidotis, ubi valentissima describuntur antidota ad phalangiorum ictus, è pluribus veterum clarissimorum medicorum monumentis excerpta. In summa tamen legitima Theriaca, & Mithridatium contra phalangiorum venenum ceteris praestantiora censentur. Sunt etiamnum in phalangiorum genere recensenda, quae nobis in Hetruria TARANTULAE vocantur: quarum historiam, & admiranda symptomata superius libro secundo abundè retulimus, cum de phalangis differeremus. Quinetiam inibi docuimus, quo modo ab iis ictu curentur multis instrumentis, ductisq, quam longissimis tripudiis, quare eo se conferre poterunt, qui hac scire desiderant.

Tarantula venenum & remedia vide libro 11.

Σκολοπενδρα.

SCOLOPENDRA.

CAP. XLIII.

Scolopendra, aut dicta ophiostene, morsum intulit, locus per ambitum livore fugillatur, & computrescit: interdumque, licet raro, faeculentus, atque ruber cernitur. A morsu ipso exulcerari locus incipit, ulcusque id negocium exhibet, ferè remediis invictum: praeterea toto corpore prurigo sentitur. Haec ubi morsum infixit, sal quàm levissimè tritus, ex aceto vulneri inspergendus, aut ruta sylvestris superponenda. Locus acida muria fovendus, & danda in potu aristolochia cum vino, aut serpillum, aut calamintha, aut ruta sylvestris.

Scolopendra venenosa confid.

Terrestres Scolopendras Hetrusci centipedas vocant. Sunt enim in Hetruria omnibus vulgaris notitia vermes, innumeris utrinque pedibus referta, colore subrufo: diverso quoque genere constant. Ceterum ea tantum ictu venenum relinquunt, quae quodamorsu serpentes interficiant, ophiostone appellantur, quarum tantum existimamus hoc loco meminisse Dioscoridem. Veruntamen quae in universo genere ea sint, haecenus compertum non habeo. Quibusdam in regionibus tanta copia increvere scolopendra, ut fugati ab eis populi, proprios deseruerint lares, quod Areticus contigisse scribit Theophrastus. Progreditur Scolopendra tam in anteriorem, quàm in posteriorem partem. Idcirco scribit Aristoteles lib. 4. c. 7. de historia animalium, quod dissecta Scolopendra altera parte in caput, altera in caudam, movetur & serpit. Unde videtur existimasse Nicander, hanc bicipitem esse, ut ejus verba in theriacis innuunt, cum inquit: Modicaq, pemphredon, bicepsq, scolopendra, cujus euntis ala, ut remi navis, festinant. Non inepta quidem Nicandri comparatio: nam Scolopendra pedum multitudine velocisq, motu vivemem repraesentant. Harum morsibus (ut Dioscorides ait) auxiliantur asphodeli semen, & flores ex vino poti. Quinetiam (ut scribit Aetius) ea omnia Scolopendra ictibus medentur, quae privatim muris aranei morsibus conveniunt, de quorum curatione paulò inferius dicemus. Praesunt antiquorum nonnulli cinerem aceto subactum, & vulneri illitum, item scillam: praeterea pulegium, rutam, & mentham ex vino potam. De marinis Scolopendris tradidimus superius libro secundo. Nec tamen mihi compertum est, aliam noxam ab iis inferri, quàm ingentem pruritum in tantum partibus, quibus inherint (ut scribit Aristoteles, & Dioscorides) earum erucarum more, quae pilis horrent, quae praesertim in pinu vitam agunt.

Scolopendra morsus remedia marina.

Σcorpιo.

SCORPIO.

CAP. XLIV.

Scorpionis morsu inflammari statim incipit locus, & indurefcit, ac intentus rubet, vicissimq; dolore premitur: modo siquidem exaestuatur, modo frigore occupatur. Labor repente fatigat, aliquando meliusculè habet, aliquando recrudescit. Consequitur sudor, horrois sensus, & tremor. Extremæ corporis partes refrigerant, inguina extolluntur, per sedem flatus exeunt, capilli eriguntur, pallor membra decolorat, & dolor tanquam ex pungente acu, per universam cutem sentitur. Percussis praesenti ex auxilio ficulneum lac in vulnus instillatum. Scorpius ipse, qui ictum vibravit, tritus, & percusso loco impositus, suæ plagæ remedium est, ob cæcam quandam naturarum (ut constat) discordiam, quæ antipathia appellatur. Praeterea tritus, & impositus cum sale, lini semine, & althæa, scorpius convenit. Sulphur ignem non expertum, resina terebinthina exceptum, & emplastri modo adjectum, auxiliatur. Itidem galbanum ad splenii formam ductum, & calamintha, quæ trita illinatur, & farina hordei in vino parata, in decocto rutæ. Semen trifoliæ herbæ tritum, & vulneri injectum opitulatur. Haec ad affectum locum pertinent. Post hæc quàm efficacissimis potionibus utendum, cujusmodi sunt aristolochiæ, praesertim corticis binæ drachmæ cum vino, rufa gentiana, & pulegium decoctum, & baccae lauri pauco numero tritæ, & calamintha cum posca in qua magnopere discoqui debet: cupressus cum vino, & ruta, nec secus ficulneum lac: laferpitium si adsit: sin delideretur, peucedani succo utendum: efficax est potum trifolii, & ocimi semen. Horum autem omnium vicem pensat jugis lavacri usus, evocatus sudor, & dilutæ vini potiones.

Plura, ac varia antiquis numerantur Scorpionum genera, ut latius libro secundo diximus, quorum alij multum, alij parum suo ictu offiunt, alij verò pro diversitate locorum nihil penitus ledunt. Id quod testatur etiam Aristoteles libro 8. cap. 29. de historia animalium his verbis. Morsus etiam beluarum ex locorum diversitate plurimum differunt. Nam in Pharo, locisq, aliis non ledunt. Aliis verò & praecipue in Scythia multi, magni, & nocui sunt, adeo ut si vel hominem vel quamvis bestiam percusserint, interimunt: nec sues evadere possunt, quamvis ceteros virulentos ictus minime sentiant. Porro Nicander in Theriacis scribit eorum octo reperiri genera, his verbis: Agedum aculeo dolorifico armatum scorpionem canam, ejusq, reticum genus. Quamobrem primus albicans, neque fonticus neque letalis est. Sed cui rutilo genere micant, calorem flagrantemq, mortalibus furorem incussit, quo malo homines horrore concutuntur, & frigore, perinde ac qui febre divexantur, & acri siti incenduntur. Qui lividus est, malam trepidationem, & motionem tribuit hominibus, quos percusserit, qui ceu attoniti, & vani, & stulti ridet. Alius viridante colore, qui simulac corpus hominis concusserit, tremores, & frigora illico admittit, acrisq, grando talibus videtur circumflare, etiam si Sol ardentissime radius suos flagret. Talis tantaque ejus stimuli afflictio, cujus vertebra novem (lego septem, cum non plures scorpionum

Scorpionum genera octo ex Nicandro.

pionum cauda inesse comperiantur) juncturis connexa apice suo nocent. Alius livido colore, ingentem alvum gestat, latumq; herba enim vefcens, semper insaturabilis manet, corpus etiam hominis excedens, inguini insolubili ictu nocens: tam vehemens ejus genus & ori morsus insitus infixusq; est. Deprehendes itidem similem scorpionem litorali seu marino cancro, qui albentes algas fluctumq; maris decerpit pascendo. Alij rursus incurvii aquales planè paguri videntur, corpore grandes, chelis, & forcipibus aquè solidi atq; paguri, qui in saxosis cavernis demorantes sibi timent: quinetiam è paguri tales scorpiones, genus & ortum suum ducunt. Nam cum rupes tenuesq; multum strepentis maris reliquerint algas, eos ex mari inescantes piscatores extrahunt. At paguri se peti ea venatione sentientes, murium rimas, & nidos subeunt, ubi prolem perditricem habent, ubiq; è moriuis tandem paguris scorpj nocentes per foramina ista generantur. Postremo melichlorus tibi animadvertendus, cujus summum verticillum prænigrum est, inextinctamq; noxam infligit, hominibus certè insensissimus ille, obliquo gressu corpus flammæ simile commovens: pueris verò, & natu minoribus celerem interitum adduxit: quibus & circum terga densa alæ expanduntur locustæ fruges rodenti non dissimiles: hæc enim Nicander. Caterum scorpionum ictuum indicia, & curationem conscripsit diligentissimè Aetius lib. 13. cap. 19. sic inquit: A Scorpione percussos vehementissimè plaga dolor consequitur, frigiditasq; ac tensio, & stupor: circaq; plagam, & totum corpus frigidus sudor: & his, qui juxta infernas partes percussi sunt, inguina excitantur, ac intumescent: qui verò circa supernas, locus sub alis. Et hæc quidem leviter percussis adsunt. Validius autem ictus ardor circa plagam adest, quemadmodum in ambustis, & verrucarum instar formicarum eruptio circa labra. & totum corpus, ut grandine se impeti putent. Facies distortetur, sordes circa oculos adsunt glutinosæ, & lachrymæ viscosæ: durities articularum, anuq; procidit cum egerendi cupiditate: spuma circa os est, & vomitus largus, singultus, convulsiones apisthotonicis similes. In igitur serpyllum, althæa radicem, & elaphoboscum bibendum præbet. Præter opinionem autem facit elaphoboscus, tum viridis comesta, tum sicca pota. Cochleam item hortulanam maximè accipito, eamq; unà cum operimento tritam, plagæ imposito, & confestim sedabis dolorem. Idem etiam vermes terreni facere dicuntur. Prædest præterea fluviatilis cancer tritus, addito lasere, in vino potus. Confert verbenacæ recta, aut viridis cataplasmatibus modo imposita, aut sicca in pulverem pota. Conducit etiam num pulvis ex equalibus partibus cumini, melanthij, & viticis semini confectus, & drachma pondere ex vino potus. Datur & pastinacæ semen, quin & ponticæ nuces: quippe hæ non modò incibus sumptæ, sed in cingulo quoque gestatæ, gestantem ab omni scorpionum ictu tutum reddunt: hæc ex Aetio. Commune & vulgare remedium est plagam perungere ipsorum scorpionum oleo. Proinde oleum nostrum de scorpionibus, cujus antea sæpenumero mentionem fecimus, hæc in curatione maximopere conveniet. Scorpionum ictibus Dioscorides præter ea medicamenta, quorum hoc capite meminuit, hæc quoq; sparsim in superioribus libris mederi tradidit: nempe amomum melle subactum, fluviatiles cochleas, mulum piscem recentem, smaridem muria asservatum, divulsas lacertas, domesticos mures concisos, tritici farinam vino aut aceto subactam, sonchi & intubi succum, ocimum potentillæ admistum, amaracum ex sale & aceto, hieracium, laserpiij lachrymam, melissophyllum, chamæpitum: verbasco illius folia, quod tantum aureum florem gerit, leucorij aurei semen: & polemonia radicem, cui tantam vim contra scorpiones inesse quidam tradunt, ut ij ab his non feriantur, qui eam gestaverint: quos si forte percussi fuerint, nihil tamen molesti passuros affirmant. Et hæc omnia prosunt tantum vulnere illita. Quæ verò pota vel devorata auxilium præstant, ejusdem testimonio, hæc erunt fluviatiles canceri triti, & cum asinino lacte poti: asinorum & equorum, qui in pascuis degunt, simum liquatum in vino, & potum: oxylapathi, & oxalidis semen ex vino aut ex aqua potum, agrestis lactuca: abrotoni horrensis, pastinacæ, hyacinthi, & urticæ semen: quin & olusatrum, & heliotropium, & cardamomum, & myrrha, & myrti baccarum vinum. E quibus omnibus cum plura possint confici antidota, pro varia Medicorum intentione, non operæ pretium puto, nos hæc in re longiore moram ducere, ut quæ potius peritissimi cujusq; judicio sit relinquenda.

Scorpione
nū ictus,
& curatio
ex Aetio.

Remedium
commune.
Remedia
alia ex
Diosc.

40 Τρυγών θαλάσσια, σκorpionος καὶ δράκοντος θαλάσσιον. PASTINACA MARINA, SCORPIO ET DRACO MARINI. CAP. XLV.

SI Marina pastinaca percussit, protinus accidunt molesti dolores, arduæ convulsiones, lassitudo & imbecillitas, mens percussis labat, postea obmutescunt: oculi caligant. Percussis autem locus in ambitu cum vicinis partibus denigratur, & ita obstupefcit, ut tangentem non sentiat: hunc si quis premat, atra sanies, crassa, & malè olens excernitur. Ei qui marina pastinaca icitur, omnia, quæ de viperarum morsu paulò post referemus, simili modo conveniunt. Peculiariter autem ictus à marino scorpione, & dracone inferuntur, qui molestos cruciatus cient: interdum autem, sed rarò, nomas excitant. Quibus absinthii, salviæ, aut sulphuris ex aceto triti potio subvenit. Ipsi etiam dillecti, vulneribusque impositi, sui cujusque ictus remedio sunt.

Qui à marina Pastinaca percussi sunt (ut testatum reliquit Aetius) his vulneris locus manifestè apparet. Sequitur autem dolor pertinax, & totius corporis stupor. Acutum enim, & firmum habet aculeum, quo vehementissima vi in altum impulsio, nervi sauciantur: quapropter in aliquibus mors derepentè totum convellens corpus comitatur. Narrant quidam, quòd si quis caudam pastinacæ, quæ ictum intulit, auferat, & in arborem maximè quercum suspendat ac figat, ipsam quidem arborem arefcere, agrum autem sanari, atq; id juxta contraria affectionis, & remedij rationem contingere. Id quod etiam asserit Nicander in theriacis, his planè verbis: Trygonem, hoc est, pastinacam, itidem maleficum, mareq; vastantem draconem arcere novi. Dolor autem sic hominem afficit trygon, cum oblongis sagenis defatigatum piscatorem aculeo suo ceciderit: vel etiam ramus arboribus infixus fuerit, nam tum arbor ea sit obscurior ignobiliorq;. Siquidem ab hujus morsu, seu solis aestu, ejus & radices perditæ una cum foliis flaccidæ redduntur, & arefcunt: homini verò caro putredine imminuitur: hæc Nicander. Caterum auxilium sentiunt percussi, ut Aetius inquit, ubi stupor, & refrigeratio totius corporis sequatur, ex calidis illitionibus, & consimilibus cataplasmatibus. Proprie autem fursures aceto incocti, & pro cataplasmate impositi eis auxiliantur, & ipsum adeò acetum pro foru affusum maximè prodest. Magis autem conveniunt eis attractoria, & quæ tenuium partium sunt, ac calida, quo nimirum per attractoriam facultatem venenum ex profundo attrahatur, & per calorem frigiditas mitigetur, & quæ tenuium sunt partium, in altum proreptent. Ad hanc igitur rem in promptu habebis apta, sulphur vivum urina veteri subactum, marrubium, lauri folia, echium, radicem panacis, salviæ, & similia. At verò si hæc desiderentur, fermentum acidum cum liquida pice emollitum imposito, mirabiliter enim auxiliatur: Dato item lauri decoctum, aut succum Cyrenaicum cum myrrha magnitudine fabæ, ac modico pipere trito, ac dato

Pastinacæ
marinæ
ictus si-
gna.

Pastinacæ
ictus re-
media ex
Aetio &
aliis.

R r r r

cum

cum vino: aut silphium, aut laser ex vino: aut succi fici guttas quinq., cum tribus serpylli granis bibendas præbe. Hæc Aetius adversus pastinacæ marinæ ictus auxilia reddidit. Ad quos præterea commendatur salvia decoctum continuè pluribus diebus potum: quin & scordium in pulverem tritum, & ex sui ipsius decocto potum, itemq; verbenacæ. Non tamen ob id præmittenda est Theriaca, aut Mitbridatis antidotus, aut quinta nostra essentia, cujus jam sæpe meminimus. Porro Nicander quoq; nonnulla remedia protulit, quæ hæc sunt. Anchusæ folia, quinquæfolium, rubi flores, arctium, oxalis, Lycopsis, cordilium, chamæpitys, fagi cortex, agrestis pastinacæ semen, terebinthi fructus, phycus marinus, adiantum, smyrnium, eryngium, libanotis, cachry, & utrunque papaver.

Μυσάρα.

MUS ARANEUS.

CAP. XLVI.

A Mure araneo percussis, circa morsum in orbem inflammatio exoritur, nigraq; pustula, diluta sanie turgens, exurit: proximæ partes livent. Rupta pustula, depascens ulcus, non ei dissimile, quod serpit, occupat. Intestinorum quoq; tormina, difficultas urinæ, & frigida æsperginis offusio consequuntur. Hujus morfib. auxiliatur ex galbano splenium, per se vulnere exterius impositum, ut medicamenti modo aceto tritum, & hordeacea farina cum aceto mulso illita. Quinetiam mus ipse, qui morsum intulit, si dissectus apponatur, ictus sui veneficia luit. Resistunt quoq; acini dulcis punici decocti, & illiti: item porri, & allia contrita, necnon aquæ calidæ fotus: sed hæc ad locum pertinent. Prodest potum abrotoni decoctum, maximè si in vino detur: præterea serpyllum, & galbanum, & eruca vino madefacta, recentes cupressi pillulæ cum aceto, & cyclaminus ex aceto mulso, & pyrethrum cum vino, & chamæleonis herbæ radix. Nec desunt, qui literarum monumentis tradiderunt, tritum murem araneum contra suos ictus commodè bibi. Quam historiam apud alios inventam, dignam duntaxat censuimus, quæ adnotaretur. Alii asseverant, de morsum non aliàs exulcerari, nisi prægnans mus araneus fuerit: tum sanè auxiliari ferunt.

Muris
aranei
morsus
notæ.

QUanquam Mus araneus, qui, quod colore mustela sit similis, Græcis μυσαράς dicitur, ab omnibus inter venenata numeratur, attamen in agro Tridentino is nullam morfu infert noxam, quem admodum nec scorpio. Historiam ejus superius libro secundo retulimus, quare jam ad ejus morsus notas, & remedia progrediamur. Demorsus itaq; ab eo (ut Aetius inquit) vulnera manifesta fiunt: quadrifido enim ordine illata vulnera conspiciuntur: & sanguis quidem primum purus promanat, paulo post verò saniosus: animal enim ipsum putrefactione occidit. Consueverunt etiam bullæ insurgere, quas si quis dirumpat, carnem subjacentem faculentam offender, & fissuris disparatam. Inflatio autem sequitur demorsos. Ceterum hoc animal frequentius ad testes insilire solet, eosq; verberare impetere, non hominis modò, sed cujusq; etiam bruti animalis. Auxilium autem ferunt cum ob putrefactionem periclitantur demorsi, post prædicta communia remedia, lauri tenella folia, unius aut duarum drachmarum pondere, trita & ex vino pota. Conveniunt etiam ipsis omnia communia venenorum remedia è vino dulci in potu sumpta. In pecoribus verò & jumentis illa ipsa cum aqua trita, naribus infundenda est enim ipsis præsens remedium. Unde etiam hominibus similiter in potu exhibeto. Morsus porro cumino, & allio, putamine extrinseco non abjecto, contegatur. Eadem etiam cum oleo trita assidue ac diligenter locis circumfictis illantur. Si vero rupta fuerint bullæ, & ulcera oborta, acida muria proluatur locus, aspergaturq; subinde usti hordei pulvere. Verum non rumpentur, nisi prægnans fuerit mus araneus, qui morsum infixit. Quod si exulcerentur, mali punici dulcis putamen coctum tritum erit imponendum, & ulcera ex eodem decocto aut magis myrti decocto proluenda, fovendaq;. Strato verò inquit, in muris aranei morfu primum scalpello, circumquaq; vulnerandum esse locum, & murem subinde araneum ustum cum aceto imponendum, aut sinapi tritum, & aceto exceptum. In potu verò opem ferunt panax, eruca, capparis cortex, gentiana radix, & recta verbenacæ, omnia ex vino pota, aut in cataplasmatum conformata, & morsibus illita. Profunt & malva folia imposita, & magna antidota potui data.

Curatio.

Εχιδνα.

VIPERA.

CAP. XLVII.

SI vipera momordit, corpus intumet, vehementer arefcit, subalbidumq; colorem concipit. Sanies à vulnere profunditur, primum subpinguis, mox cruenta: pustulæ adustis similes erumpunt: & antea depascens ulcus, quod in proxima repens, non summa modo corporis, sed intima quoq; corripit. Gingivæ iis cruore suffunduntur: inflammatio circa jecur erumpit: tormina, & biliosi vomitus sequuntur. Sopor, tremor, & urinæ difficultas accedit, & frigidus sudor offunditur. Ubi verò vipera morsum impressit, simum caprinum cum vino studiosè impositum opitulatur: item laurus & abrotonum, & galbanum splenii loco superjectum, & origanum viride inditum: pulli gallinarum discepti, & confestim admoti: ervi farina vino subacta: radices cortex usq; eò tusus, ut in pulverem solutus abeat, & scilla tosta: detritum chamæmelum, hordeaceæ farinæ cataplasma in aceto mulso præparatum, sed locus ante eo calido foveatur: hæc loco imponuntur. Contra viperinos ictus rubus cum vino prodest. Aliqui anchusam tenui folio constantem auxiliari produnt. Leporini coaguli in vino terni oboli bibuntur, & porracei succi hemina in mero, & foliorum apiastri succus, & sylvestris ruta: hæc in vino potari debent. Vinum frequenter bibendum, allia mandenda, & cæpæ, & porri recentes, salfamenta acerrima, & opiparra: simplicia hæc sunt. Percussis à vipera præclarè auxiliatur medicamentum, quod myrrhæ, pipæris, castorii, floris portulacæ seminisq; dimidio acetabulo constat: hæc omnia in Cretico passoteruntur, aut in alio probato. Erasistratus in eo libro, qui *περί ὀνείσεως*, id est de viribus, inscribitur, pleraq; alia tradidit, quæ ictis à vipera auxilium ferre possunt: inter quæ talia maximè laudantur. Gallinacea cerebella cum vino pota, semen sativæ brassicæ tritum, & acetabuli mensura cum vino potum. Quinetiam bonum est digitum in liquidam picem intingere, deinde vinum, quo digitus fuerit elutus bibere. Hæc sunt quæ contra viperæ ictus auxiliantur.

Viperarum
morsus
indicia
ex Aetio.

Viperarum historiam ex Aetio, ut puto, Latiusq; lib. 2. tradidimus, quàm ut operæ pretium sit hic eandem repetere, vel plura nobis supersint addenda. Quare tantum reliquum est, ut jam de earum morsus indicia, & remediis differamus. Reperiuntur itaq; in eis (ut Aetius memoria prædidit) quos vipera mas momordit, vulnera in loco bina: in his verò qui à femina demorsi sunt, quaterna. Primum autem ex eis excernitur sanguis, deinde sanies sanguinolenta, & oleosa. Adest tumor bilio-

biliosus, fervidus, bullosus, subruber, deinde lividus, denigratus, & proserpens. Siccitas vehemens inest ori, ardor, exolutio, & frigidi horrores insultus, aliquando & bilis vomitus, tormina, capitis gravitas, vertigo, pallor, singultus, febris, spiritus & anhelitus celer, color plumbeus, & frigidus sudor. Mors in horis septem, aut ut longissime absit, tertia die in his qui non servantur, & maxime his, qui a vipera formica sunt isti: hac ille. Quae omnia Nicandro accepta referri possunt: siquidem is Ex Nicandro indicia.

in cheriacis ita ad Latinum sensum scribit. Hinc luctum a vipera manantem viatores divulgant: duos enim instar nervi acutos masculi dentes in ore suo virus eructantes ostentant: vipera vero formica semper plures exivit, pernicioso suo ore insultans. Atqui in carne isti facile latos dentes perpendas. Porro è vipera insulsa plaga sanies aliàs pinguedini similis, aliàs cruenta, interdum sine ullo colore conspiciuntur. Sed quae ulcus ipsum caro circumdat germinans gravi offert sese tumore: interdum rubens, tumq; palam livida ceruitur: quandoq; etiam aquosum onus concipit. Frequentes praeterea bullae, seu vacui per ignem tumores, perinde ac corpus igni sit ambustum, in cute supernè ebulliunt: illic subinde putredines circumcinctae accurrunt, aliæ quidem seorsum a vulnere, aliæ circa plagam veneno non dissimilem mortem edentes. Aspera itaq; noxa, vehementerq; ignescens totum corpus exedit: hic per guttur, atq; collum cocutes sonitus, agminatim strepunt: quinetiam oculorum vertigine moeretur. Illicoq; membris gravans imbecillitas, & lumbis anxietas venit: at in capite caliginosum onus consistit. Atqui laborans ille aliàs siti aridum guttur suum exccat, saepeq; ex unguibus cum frigore tenet. Hyberna autem nive exuberans grando, omnia membra degravat. Crebro etiam biliosos ventris sui humores expuit, toto corpore pallens, ac humens circa membra sudor nivis jactu frigidiori circumfunditur. Colorem interdum lividi plumbi gerit, alias obscurum, mox floribus similis est aris: haecenus Nicander. Praestat igitur (ut Aetius auctor est) priusquam cruenta prodeat urina, alij plurimum devorare, & vinum meracum copiosum bibere, excitatus subinde vomitibus. Efficacissimum enim eis remedium est alij esus, ac meracior vini potio, inquit Archigenes, adeo ut si quis multum ejus sustineat usum, utemq; meriporum, nullo alio auxilio opus habeat. Convenit item maxime Theriaca ex viperis sine dilutione pota, & vulnere illico superposita. Quin & ipsa vipera excoriata, capite & cauda abscessis, interaneis omnibus rejectis, anguillarum modo cocta, & a demorsis devorata, maximum istius praesidium affert. Caput autem a viva amputatum, diligenter per volsellam prehensum, morsuq; impositum, ea parte adhuc calente, quae cervicem contingit, venenum id mirifice extrahit. Conducit & dissolutam gallinam adhuc internè calentem morsui imponere, idq; alij pariter dissectis, frequenter & assidue repetere. Oportet etiam scalpello per ambitum demorsum locum circumcidere, & cucurbitulas subinde admove. A cucurbitulis foliorum fraxini succus in potu exhibendus est, & expressa a succo folia vulneri illinenda, est enim valde efficax ad viperarum morsus fraxinus arbor. Melissophylli item folia, & succum tum ex vino potus, tum vulnere exterius illitus, evidens auxilium confert, etiam si jam moriatur aeger. Ajunt praeterea, si quis melant hy drachmas quatuor edat, non moriturum. Similiter etiam metaprodios herba efficax est, & cancri fluviales cum lacte triti, & poti, & vulnere adhibiti. Magnifice etiam profunt rana cocta, & in cibum sumpta & jusculum earum subinde bibitum. Praestat & nasturtium plurimum edere, vel tritum ex vino bibere. Facit autem ad id mirifice testudinis sanguis exccatus & cum sylvestri cumino potus. Utendum etiam omnibus communibus remediis, supra saepius relatis: quippe supervacaneum fuerit eadem tam saepe repetere. Maxime vero utendum est anchusae radice, & heliotropio cum vino: dandum & hamatites lapis. Auxiliantur & raphani in cibo accepti, & deinde vomitu rejecti, exhibita statim a vomitu Andromachi Theriaca. Post scarificationem, & gallinarum impositionem, vulnus ex trifolij bituminosi decocto calido, diu proluendum ac fovendum est, nam si paucio id tempore fiat, demorsi pejus afficiuntur. Deinde porrum & panem cum sale illini convenit, aut allium cum aceto, aut ipsius exusti, aut fraxini cinerem, aut alium quemvis cum aceto, aut hastula regia, aut sycomori folia cum pane: aut lauri tenellus folius, coctus & cum oleo tritis integatur locus aut caprino stercore priusquam claudatur. Caterum ut libro de theriaca ad Pisonem auctor est Gal. non modo è viperarum morsibus retrahitur venenum, apposito tantum, ut Aetius inquit, vipera capite, sed ipsa quoq; vipera tota confusa, & vulnere imposita. Contra viperarum morsus mirifice medetur epotus echii succus, herbaq; ipsa vulnere imposita, ut superius libro 4. prodidimus, illius Alcibi historiam referentes, a quo echium Alcibiadis cognomentum accepit: quandoquidem planta haec (ut ipse Dioscorides testatur) facultatibus adeo praestantibus insignitur, ut epota ejus radix ex vino, non percussis modo à serpentibus opituletur, sed eos quoq; qui antea biberint, feriri non patitur. Commendavit etiamnum adversus viperarum morsus Dioscorides sparsim in suis de medica materia libris, praeterea quae hoc capite retulit, alia praestantissima simplicia medicamentum, partim exterius applicanda, partim bibenda, vel comedenda, quorum nonnulla hic subiciam. Vulnere igitur exterius illita conferunt juniperi, & fraxini folia: tritici fursures ex ruta decocto incocta: erui farina vino macerata, scilla ex aceto servata: personata, ebuli, & sambuci radices in vino elixatae: sarmentitis cinis aceto subactus, aliq; complura, quae brevitate studentes nunc silentio involvimus. Pota vero profunt castia odorata, costum, myrica semen, pistacia, cervi genitale exccatum, tritum & potum, chondrylla, anagallidis succus, ferula medulla, aparine, rubiae radices & terrestris tribuli succus: auxiliatur etiam bryonia radix. Admirandos insuper praebet effectus radix illa, quam Goritienses ab auxiliari ejus vi Serpentinam vocant, cujus historiam, pariterq; usus rationem superius libro secundo tradidimus. Verum praeterea haec praesentaneo remedio sanat nostra quinta essentia, cochlearis mensura pluries eodem die pota: item oleum nostrum de scorpionibus, de quo etiam saepius dictum est, ea ratione inunctum, quam superius ipsius consiciendi modum describentes retulimus. In viperarum quoq; genere ea nimirum inmanis fera recenseri potest, quam AMMODITEN vocant, cujus etsi nusquam quod extet, meminerit Dioscorides, minime tamen silentio praetereundum est, quin haec epusq; veneni remedia describantur. Siquidem Ammodite, meo iudicio, in pluribus Italiae & Illyria locis reperiuntur, praesertim in Goritiensi comitatu, & Japidia montibus. Est enim fera haec vipera omnino similis, praeterea quod capite sit ampliore, & maxillis latioribus, quodq; ultimo rostro superiori parti eminentiam quandam habeat, acuta verruca similem. Unde circumforanei qui serpentes eorumq; veneni remedia profitentur, haec feram vulgò appellant Aspidem del corno, hoc est Aspidem cornutum. Neq; sanè ineptum illi nomen indiderunt, namque non minori cum velocitate interficit, quam aspis. Scimus enim quosdam ab his inopinatè demorsos, tribus tantum horis morte occubuisse. Proinde (citè lib. 13. cap. 25. de eo ita scriptum reliquit Aetius. Ammodites magnitudine quidem cubitalis est (major enim non pingitur, neq; scribitur) colore vero arenosus, per corpus autem maculis nigris insignitus, caudam habet praeuram, supernè descissam. A quibusdam vero Cenchrias, hoc est miliaris, ob caudam instar milij duritiam, appellatus est. Latiores autem maxillas, quam vipera habet, cumq; in multis aliis ei similis sit, colore magis discerui potest: vipera enim subflava est. Caterum ab Ammodite percussos festina ut plurimum mors sequitur: qui vero tam brevi non pereunt, his sanguis è vulnere manat, & vulnus intumescit: sed paulò post sanies effertur, sequitur capitis gravitas, & animi deliquium. Qui vero optime dispositi sunt, & robusti, in triduo intereunt: quanquam reperti sunt, qui in septimum usq; diem durarunt. Celerius vero mors advenit his, qui a formica sauciantur. Auxilium porro & ij ferunt, pri-

Vipera-
rum mor-
sus reme-
dia,

Simpli-
cia medi-
camenta
ex Diosc.

Ammo-
dite hi-
storia, &
venefica
vis.

Aspis
cornutus

Ammo-
dite mor-
tus signa,
& cura-
tio.

inim quidem à communibus remediis, ut pote ab adfixis cucurbitulis, circunciso prius per ambitum vulneris loco, & superius partibus artissimis vinculis constrictis: quin abscissa, dilatataq; statim scalpello plaga. Proprie autem eis auxiliatur mentha ex aqua malsa pota, castorium, castia, & artemisia succus cum aqua. Danda etiam in potu Theriaca, nec non vulnere eadem illinenda. Utendum & emplastris attractoriis, & subinde cataplasmata qua ad nomas sive ulcera serpentis conducunt, imponenda. Vipera praterea similis, ut quidam tradunt, ea etiam fera fuerit, quam SEPA nominant, cuius historiam superius libro secundo retulimus, quanquam inibi Dioscorides Sepem lacerta generi assignavit, unde & eam lacertam Chalcidicam: à quibusdam vocari tradidit. Itaq; cum varia sit apud auctores Sepis historia, facile adducor, ut credam, Sepa reperiri non modo in lacertarum sed etiam in mortiferarum serpentium, & viperarum genere. Quod sanè videtur asserere Nicander in theriacis suis. Siquidem cum inquit primo: Praterea nivalis, & asper admodum montes Othrys rubentes bestias profert, cavag, vallis, & salebrosa rupes, nemorosumq; promontorium, ubi sitibundus ingreditur Sepis, colore nunquam uno visus, &c. haud dubie ostendit serpentem, immanemq; feram se representare, non autem lacertam. Cum verò secundo ait: Sepem ite in corpore demisso, exiguum haud dissimilem lacerti, declinabis, nulli dubium est, quin eam describeret, quam Chalcidicam lacertam vocant. Nicandro subscribit Dioscorides, quippe qui et si libro 2. ea ratione Sepa statim post lacertas reddiderit, quod lacertis corpore & forma sit similis, attamen libro quinto, Sepa viperarum generi adscripsit, ubi de aceti mulsi viribus disserens inquit, Acetum mulsum contra morsum ejus vipera, quam Sepa vocant, haustum meconium, & ixiame auxilio est. Actius tamen ejus Sepis tantum meminit, quae inter mortiferos serpentes, vel vipera genera recensetur, his verbis: Serpens qui Sepis appellatur, longitudine quidem duorum cubitorum reperitur, ex crasso autem in tenuem abit: recta verò ac tarde proserpit. Caput habet latum, os acutum: universum autem corpus multis albis notis respersum. Sed aliter de Sepis forma, magnitudine, & gressu tradidit Pausanias, ut superius libro secundo suo loco adnotatum reliquimus. Caterum ab ea percussus (ut tradit Actius) sanguis à vulnere manifestus excernitur, & paulo post sanies graveolens, tumor, & dolor segnis est, sed affecta partes putrefacta dealbantur, & totum corpus vitiligini, quae albus appellatur, simili colore inficitur. Pili, capilli, & toto corpore defluunt, atq; intra tres aut quatuor dies illi pereunt. Porro opem & hi sentiunt ex iisdem rebus, quae in vipera, & cerasia, & ammodia morsu relatae sunt. Exhibenda est praterea portulaca plurima in cibo, & vinum bibendum myrrites meracius. Conveniet item spongiam calido aceto imbutam, morsui imponere, & ex butyro cum melle locum illinire, aut milium cum melle, aut paleas una cum terra, quae eum adhaeret, exustas imponere, Hac Actius. Ex quib; facile conjici potest, cum ambaba fera è viperarum sine genere, is curò antidoti earum venenum superari posse, quibus vipereum frangitur, & evincitur. Sed quoniam hac humana vita tam inimica animalia aliam admodum perniciosam feram mihi in mentem revocarunt, quae Graecis ideo ACONTIA appellatur, quod jaculi, vel sagittae modo in hominem proficiat, cum nihil de ea à Dioscoride memoria proditura sit, sciverimq; & hanc in Italia reperiri: non alienum duxi de ejus historia ac veneni curatione ea hoc loco commemorare, quae ex probatis auctoribus excerpsti. Hanc itaq; describens Galenus libro de theriaca ad Pisonem, inquit, Acontias serpens, ubi se multum extendit, ceu jaculum quoddam corporibus insiliens sic perimit. Hac ut Actius scriptis tradidit, serpens est duorum cubitorum magnitudine, figura autem crassa in tenuem abeunte, colore viridi, praesertim juxta ventrem, ut milium colore referat, unde & cenchrias hoc est miliaris appellatur. Ajunt hanc fortiosem fieri, cum milium florer. Porro ubi se ad laedendum parat, extendit se ipsam, ac veluti jaculum vibratum corporibus involat, atq; hoc modo verberat. Ab hujus morsu omnia, quae de vipera dicta sunt, sequuntur accidentia, atq; etiam graviora, adeo ut etiam putrefactiones, & carniū defluxus consequantur, ac gravior item mors succedat. Caterum remedia similiter eadem, quae ad viperae morsum huc conducunt. Est qui referat inter recentiores non obscurus auctor, quod cum pastor quidam misellus, sub cujusdam arboris umbra aestate media quietem somnumq; caperet, cujus socij non procul oves pascebant, ab Acontia, quae in arborem ascenderat, ita percussus fuit in sinistram mamillam, ut illico perierit: at socij audito percussione sonitu, viso serpente, quem noverant, super defuncti pectus, relicto grege in propinquum rus, pavore territi, aufugerunt. Confirmat hoc Julius Solinus cap. 30. Polyhist. his verbis: Jaculi arbores subeunt, è quibus vi maximaturbinati penetrant animal, quodcumq; obvium fortuna fecerit. Reperitur hoc sevisi: mi serpentis genus, ut quidam mihi retulerunt, in quibusdam Calabria, & Sicilia locis, ubi ipsum incolae à sagittae saetione, vernaculo nomine appellant.

Zavrida, vel de pignosoliva.

CÆCILIA, ET AMPHISBÆNA. CAP. XLVIII.

Consimilia supra dictis in vipera eveniunt ijs, qui à cæcilia nomine, & amphisbæna demorfi sunt, eademq; ferè auxiliantur: quare hoc venenum privatam descriptionem sortitum non est, neque visum est dignum, quod alio genere comprehendatur. De ijs autem mentionem hoc loco fecimus, quoniam am ferè remediis ad vipers scriptis, percussis ab eis adjuvari soleant.

Non desunt, qui scripserint, Amphisbanam prater naturae institutum duobus cum capitibus gigni, quae utraq; serpentis extremitatem occupent: fieriq; ob id putent, ut fera in utraq; partem repat. Quod tamen fabulosum censemus: nam & hydræ poeta septem capitibus constare fabulantur: id quod nihilominus falsum est. Verum amen non negaverim ego id monströse, & prater naturam intentionem evenire non posse, in omni serpentium oviparorum genere, quemadmodum & volatiliū. Siquidem pluries compertum est, ex uno tantum ovo duobus vitellis refero, nasci pullum modò habentem quatuor alas, modò totidem crura, totidemq; pedes: atq; etiam lacerta visa sunt aliquando bicipites. Sed hac non utiq; statunt, haberi aliquod serpentium genus natura biceps. Hoc scitissimè, & apertissimè confirmat Aristoteles libro, & capite tertio de generatione animalium, sic inquit: Monstra raro admodum sunt in ijs, quae singulos pariunt, sed crebrius in ijs quorum partus est numerosus, & praecipue in avium genere, potissimumq; in gallinis. In enim partus numerosus, non modò, quod saepe pariant, ut columba: verum etiam quod multos simul conceptus intra se contineant, & temporibus omnibus coeant. Hinc gemina etiam pariunt plura: coherent enim conceptus, quoniam in propinquo alter alteri est, quomodo interdum fructus arborum complures. Quod si vitella distinguuntur membrana gemini pulli discreti sine ulla supervacua parte generantur. Sed si vitella continuantur, nec ulla interjecta membrana discernantur, pulli ex ijs monstrifici prodeunt, corpore, & capite uno, cruribus quaternis, alis totidem: quoniam superiora ex albumine generantur, & prius: (vitellum enim cibo ijs est) pars autem inferior postea instituitur, quanquam cibum idem, indifferotusq; suppeditatur. Jam serpens etiam biceps visus est, videlicet eadem de causa: nam id quoq; genus ova parit, & mul-

et multa numero: hac Aristoteles. Quae sane mihi facile persuadent, ut credam, omnino falsum esse, quod Amphibana ex sui generis natura biceps perpetuo nascatur. Verum quandoquidem hoc serpentis genus terrestrium lumbricorum modo utriusque extremitatibus, capite scilicet, et cauda, acuminatis gignitur, adeo ut difficiliter possit caput a cauda discerni, existimare quidam hanc feram duobus constare capitibus. Proinde Aetius lib. 13. cap. 28. scribit, Scytalam (hanc alii Ceciliam interpretantur) et Amphibanam animalia esse inter se similia. Non enim, inquit, ex crasis in caudam tenuem abeunt, sed aequalis crassitudinis in universum existunt, ut neque cognoscant videntes ea, iuxta utram partem caput aut cauda sint sita. Quod equidem tum in terrenis et alvi tinea, tum in eruci quibusdam tum etiam in hirundinibus conspiciuntur. Differt autem, ut idem tradit, amphibana a scytala, quod illa ex utraque parte progrediatur, unde a Graecis illi nomen inditum est Galenus porro libro de theriaca ad Pisonem, Amphibanam bicipitem esse existimat (si tamen liber is ad scripturam non est) ut hac verba, quae in eo leguntur, aperte ostendunt. Amphibena (est autem animal biceps, quemadmodum sane et navigia utringue, proram habentia, cui natura ex superfluo substantia bina capita est largita) hoc inquam animal, ajunt si mulier gravida supergressa fuerit, male abortum facit: hac ille. Ceterum, ut ipse Aetius scriptum reliquit, ab utraque demorsis contingit morsum obscurum esse, ac vix apparere, veluti sunt muscarum ictus: quapropter etiam si mordeant, non enecant tamen sed inflammationem excitant, ut apum et vesparum stimulus. Quare transferantur ad hos quoque, quae de illis sunt relata, verum facultate intensiore. Ex his etiam Aetii verbis conjici potest, cum horum animalium ictus admodum tenuis, et obscurus sit, Amphibana caput inesse terrenis vermibus, vel alvi tinea per simile, ac proinde adeo etiam cauda emulum, ut alterum ab altera non nisi difficile discerni possit. Ceciliam autem Hetrusci vulgo appellant Lucignola. Amphibana corium, auctore Nicandro, oleastri baculo circumvestitum, si manibus frigore torpentibus tractetur, calorem statim adfert, articularumque nexus dissolvit.

Amphibana biceps non est.

Utriusque morsus signa, et curatio.

20

Δρύνος.

DRYINUS.

CAP. XLIX.

A Dryino morsus pustulae, molestique dolores incidunt, praesertim quae dilatae sanici emissarium subest: quinetiam erosio, torminaque consequuntur. Ab eo ictis convenit aristolochia cum vino pota, trifolium herba, radix hastulae regiae similiter assumpta, et fructus ex omni glandiferarum arborum genere et tulae ilicis radices, et illitae parti ictae auxiliantur.

Dryinus, ut in theriacis testatum reliquit Nicander, in quercubus latebras parat, aut alicubi in concavis fagis, in montibus versatur. Appellatur enim alio nomine etiam hydrum, sed et alij chelydrum, qui relictis bryis palude suaque natura idoneo lacu venatu intercipit in pratibus molurides, et ranas. Hic si a myope musca illa quaevis animantia provocante peratur, insuetum illum impetum suscipiens, tum concava quercus robur celeri saltu subit, structo sibi in imo cespiti cubili. Candet tergo, caput illi aequale, ideoque hydro simile: gravis autem factor a corpore ejus evaporat. Quemadmodum quando incurva, nec non abrasa corij praesegmina sub teretibus serratibus circa humentes equorum exuvias, et pelles hument. Si quempiam is vel in talum, vel pedis plantam percusserit, a corpore icti hominis difficilis odor sparsus fertur, atque circa ictum niger in acutum surgit tumor, mentemque moerentis angor, et tristitia, quibus detinetur, obscurant. Species nimio dolore constipescit, et perit: cutis cum corpore admodum male olet, adeo ipsum atrum venenum semper depascens consumit, quin et caligo lumina ejus obfuscans, occultansque, male affectum perdit. Alij a dryino icti caprarum instar seu ovium balant, ac omnino difficiles redduntur, impenduntque, cruciantur. Urina eis decurritur, et pallescit: Ipsi vero dormitantes stertunt, frequentibus singultibus correpti, alias per collum vomitum felli similem, alias cruentum eructantes, ipsumque malum acrem sitim generat, postremo laborantibus membris tremorem effundit: hac Nicander. Ceterum Dryini nomen huic fere mortifera inditum est, quod in quercuum cavernis, quae prope radices sunt stabuletur. Graeci enim quercus Δρύος dicitur. Proinde Galenus lib. de theriaca ad Pisonem, de Dryino ita scribit. Dryinus serpens sic nominatus, quod in radicibus quercuum vivat, tam malignus ad perdendum proditur, ut ejus, qui supergreditur imprudens, cutis a pedibus excorietur, tota crura admodum intumescant, et quod magis mirificum est, manus quoque ipsae curantium eodem modo periclitentur. Si autem quis aggredietur eum perimere, olfactu adeo multari ajunt, ut quemlibet gratum odorem prae se esse existimet, nec alterius praeter rei quae sentire: haec Galenus. Dryino, ut Aetius inquit, abundat Hellepontus. Is latibula in quercuum radicibus habet, atque adeo sordidus est, ut etiam si quis eum non videat, satore loci cognoscatur. Est autem cubitorum duorum longitudine, obesus, ac asperissimus squamis circa universum corpus munitus. Porro qui ab eo percutiuntur, hic tumor insurgit nigricans, dolor vehemens, nome, delirium, corporis siccitas, singultus, biliosus vomitus: aut omnino simplex, urina suppressio, tremor, interceptio vocis, stupor, scissura, et mortificatio percussorum locorum: plurimi etiam intereunt. Porro et hi quoque, ex his, quae in viperam morsus dicta sunt, opem sentiunt: itemque ex communibus remediis juxta consequentium accessionum proportionem adhibitis.

Dryini histotia, et ejus ictus notae ex Nicandro.

Ex Gal.

Dryini delictio, et morsus curatio.

Αἱμορροῦς, καὶ διψᾶς.

HÆMORRHOUS, ET DIPAS.

CAP. L.

A B hæmorrhoo ictis vehementes cruciatus accidunt, qui angusta, contractaque corpora ex continuo dolore reddunt. Ex plaga copiosus sudor effluit, et quacunque parte corporis cicatrix ulla fuerit, ea sanguine manat. Excrementa per alvum cruenta ejiciuntur, profluensque sanguis in globo coit. A pulmone sanguinem extulsiunt, et in vomitiones effusi sine remedio commoriuntur. Quos vero dipas percussit, solutus ac non constriktus tumor premit, sitisque usque eo pertinax, ut satiari non possit, ac sine ulla intercapedine excruciet: et si potum pleno ore affatim trahant, illico in eandem sitim relabuntur: proinde toto habitu similes sunt iis, qui antea potus nihil hauserint: quare propter continuam sitim, et praester, et caufon, aut dipas appellatur. Hæmorhoi, dipadisque morsus velut immedicabiles, a plerisque majorum deplorati relinquebantur, quare si peculiaribus contra dipas remediis egeamus, communia experiri operæpretium erit. Protinus autem scarificatione uti, ustionem facere, et si locus patiat, extremorum amputatione opus erit consequenter quam acerrima cataplasmata admove, de quibus sæpenumero diximus. Nec me fugit, acres cibos, maxime a falfamentis, utiles esse. Me-

R III 3

racæ

cæ potiones, & lavacra profunt, quæ subinde interjecto brevi spatio assumenda sunt, priusquam morbi genus emerferit, quo semel erumpente opem ferre non potest ulla medici opera. In ictu hæmorrhoidis eadem profunt. Insuper quæ in commune opitulatur, ut scarificationes, ustiones, acres cibi, meraci potus, & quæ nunc in dipsade defini vimus. Quinetiam decocta vitis folia, & cum melle trita.

Hæmor-
rhoi per
niciolus
ictus, &
hist.

Hæmorrhous, & Hæmorrhoidis, aut bore Galeno in libro de theriaca ad Pisonem, suis ipsorum nominibus similem hominibus perniciem inferunt: quippe percussæ, sanguine per os, & nares, totq; corpore effuso, intereunt. Hic (ut in Theriacis cecinit Nicander) petrosas rimas assidue incolit, asperum, supinum, & modice pendentem lectum illic sumens, ubi tractum suum habeat, deinde pabulo satur fiat. Longitudo ejus pedis vestigio æqualis: ceterum quod ad latitudinem attinet, à capite ad usq; caudam totus & subtilis, & minutus est. Aliàs colore igneo, aliàs rursus candens. Collo satis constricto est gracili cauda necessario in arcum contracta, extensa est angustæ, & tenuiter. Supra ejus frigidus, & nivales oculos, duo cornua fronti sunt infusa: albore luminum suorum, locustis vel sylvestribus apibus par. Insuper horribile, & asperum ei caput horret, obliq; modico corpore suo instar cerasæ claudicans. Ex medio etiam dorso parvum navigium semper appellit, ad terram ventrem suum atterens: squamis verò & itinere parum subsistit, perinde ac arundinis copiam transeat. Post ictum statim decolor species accurrit, nigra nimirum, corq; ipsum dolore circumangitur: venter aqua refertur effluit. Quin & prima nocte sanguis cum ex naribus, tum collo, & auribus salit, recens bilioso veneno co inquinatus: lotium item rubens accurrit, quæq; in corpore sunt vulnera, & plaga, hæmorrhoidi rumpuntur aperianturq;: cutes enim fuligine contrahuntur. Caveas itaq; in primis, ne in te femina hæmorrhoidis virus suum jaculetur. Nam si cui morsum illa inflixerit, ei gingivæ simul ignescunt, penitusq; & unguibus sanguis cum impetu procurrit. Dentes etiam ex ea cade graveolentes, seu humentes molant: hæc ex Nicandro. Cui subscribit Aetius, sic inquit. Animalia hæc (hæmorrhoum, & hæmorrhoida intellige) colore quidem sunt arenoso, magnitudine autem tres palmos æquant, & in tenuem caudam angustâ figura paulatim desinunt. Sunt autem igneo oculorum fulgore, rectaq; & tarde prorepant. Per corpus verò multis notis albû, & nigris variegata sunt, & asperioribus squamis obita: quapropter dum serpunt, sonus auditur. Et femina quidem ventri incumbens, per terram reptat, & gressum inferne circa caudam firmat: mas verò circa ventrem ingressu nititur, & collum serpendo extendit. Consequitur horum morsum color icti loci cruentus, coloris terti, & nigricans: ex quo nihil in initio effluit, præter quam paucum quidpiam aquosum. Venter dolore tentatur, adestq; spirandi difficultas. Deinde sanguis ex naribus profluit, & ex ipsius morsu foraminibus: & si qua in corpus obdulta jamdiu sit cicatrix, ea rumpitur, & sanguinem profundit atq; hæc quidem in mari hæmorrhoidis morsu contingunt. A femina verò hæmorrhoidis morsu ad hæc & anguli oculorum, dentium gingivæ, & unguum radices sanguine manant, & ut simpliciter dicam, per omne corpus sanguinem effundi contingit. Dentes præterea excidunt, & gingivæ putrescunt. Horum porò curam facere oportet, primum quidem sanguinis eruptioni obliando ac resistendo his medicamentis, quæ apte sanguinem sistere possunt, deinde cataplasmata plaga imponendo ex foliis vitis collis tritis cum melle, & portulacæ foliis cum polenta. Antea vero quam cruenta prodeat urina, alij multum devorent, multumq; vini diluti bibant, & ad vomitum cogantur, deinde confestim Theriaca exhibeatur, & postea pisces multos, allii tritis cum oleo tinctos edant. Sumant item in cibo panem, & uvam passam dulcem, & deinde vino diluto largè hausto vomant. Plaga verò aqua frigida proluitur: vesica autem spongiis calidis soveatur. Sed jam de DIPSADE differamus, quæ sic à Græcis dicta est, quod continuam, & inextinguibilem sitim excitet. Hujus mentionem fecit Galenus lib. 11 simp. med. ubi ejusmodi seras in Lybia, non in Italia reperiri scribit: quod hæc regio humida sit, illa verò siccissima. Hoc autem à Marfæ, qui Roma viperæ venabantur, accepisse ait, quibus tamen non in omnibus fidem adhibendam esse existimant. Quare longe minus nos his circumforaneis fidem præstare debemus, qui Marfos hosce imitati, divi Pauli generi se ad scribunt seq; inde ortum duxisse prædicant. Nam si Galeni atate hi mendacissimi nebulones universo orbi imponebant, veri quidem similitudinem est, eos qui hodie per Italiam vagantur, longe magis decipere posse, quam fecerint Marfi illi antiqui, quippe non dubitandum, quin eorum astus à Galeni seculo in hunc usq; diem protrahitur, maximum suscepit incrementum, quod constat mortalium ingemata tam in bonum, quam in malum proclivitate, atate magis acui. Meminit etiam Dipsadi Gal. lib. de theriaca ad Pisonem, sic scribens. A Dipsade con. morfi causa fabri male conficiuntur: nam & multa siti, & astu vehementi vexati, interdum & disrupti diem obeunt. His Galeni verbis subscribit Aetius lib. 13, ubi sic inquit: Dipsas, quæ à quibusdam Causus appellatur, vipera est species, quæ magis in maritimis locis reperitur, quam alibi, magnitudine cubitali, ex crassa in tenuem desinens: notas autem habet per omne corpus solvas, & ingras: caput verò angustius. Sequitur autem ab ea demorsos, præter ea quæ de vipera dicta sunt, & sitis intolerabilis plane, adeo ut etiam si multus potus ei adhibeatur, sitis non sedetur. & tamen neq; per urinas, neq; per vomitum, neq; per sudores quicquam excernitur. Duobus igitur pereunt modis, aut ob multam sitim exusti, si potum non sumant: aut ob multam potus repletionem distenti, rumpitur venter, vel inferne circa inguina vel circa immum ventrem, ut in aqua inter cutem sapius evenit. Ceterum & his, cœn à vipera demorsis, auxiliamur: propriè autem in his potiones magis urinam cientes exhibeantur. Alvus item per infusum eluatur, & oleo cum decoctis exhibito, ad vomitum cogendi sunt male affecti. Ad plaga verò locum, post exustionem, circumcissionem circumquaq; se alpellosa factam, cucurbitularum affixionem & disseccas gallinæ aîmotas, calx viva cum oleo imponitur, & emplastra attractoria, & theriaca illinuntur. Porò Dipsadi privatum meminit Aelianus lib. 9 de hist. animal. sic inquit: Dipsas cujus vim, & naturam ejus nomen nobis declarat, inferior quidem est magnitudine, quam vipera, sed tamen in occidendo quam celerimè superior. Cujus morsu confixi, et si assiduam potionem hauriant, ad sitim tamen continuo exardescunt, & ad bibendum catenus inflammantur, quoad celerimè rumpantur. Eam Sofratus cum albam esse ait, cum duas in cauda lineas nigras habere. Et sicut audio, vario, multipliciq; nomine nuncupatur: quidam præsterem vocant, alij caufonem, alij anombaten à quibusdam melanurus appellari fertur. Cum in Aphrica tum magis in Arabia nascitur: hæc Aelianus. Ex quibus verbis manifestè deprehenditur error Leonici vti alioquin eruditissimi, qui Dipsadem putavit corporis forma nullis notis à vipera diversam esse. Nec equidem scio, quâ ratione, vel auctoritate nixus, in hanc opinionem venerit, in eaq; persisterit.

Dipsadi
historia,
morsus
signa, &
cura.

Iconice
nietor.

V. A. &

NATRIX.

CAP. LI.

AB Natrice demorsis ulcus dilatatur, & lividum, ac ingens evadit. Sanies ex comulta, & atra, & male olens, non secus atq; iis quæ serpunt ulceribus, expuitur. Si ergo morsum natrix adigit, prodest organum tritum, & aqua subactum: lixivium cum oleo indita, aut aristolochiæ cortex, aut querna radix minutim